

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

DE COMPOSITIONE, SEU MISTIONE
Medicamentorum.

Istio, seu compositio Medicamentorum Pharmaceutica est artificiosa simplicium exactè præparatorum certa proportionè, pondere, & mensura associatio, ut medicamentum, è distinctis corporibus combinatum, tanquàm unum appareat.

Multa in medicamentorum compositione ab Artificibus, seu Pharmacopœis debent observari: an scilicèt simplicia sint viscosa, resinosa, terrestria, liquida, mollia, dura, &c. Ut menstrua idonea, & opportuna eligantur ad dissolvendas moleculas eorum desideratas, & præparationes debitas ad unionem, & conjunctionem in compositionibus faciendam.

Unio in Pharmacia vocatur, dum corporum particulæ, seu moleculæ in aliquo liquido innatare coguntur, solutione mediante, ut in Tincturis, Decoctis, Infusionibus, Lixiviis, & similibus.

Conjunctio verò dicitur, quando simplicia præparata, ad misionemque adaptata, partim miscentur, partim uniuntur, partimque cohærent mediante corpore aliquo viscoso, seu oleoso, quod eis, instar vinculi, intermediique inservit, ut in Electuariis, Tabellis, Trochiscis, Pilulis, Linimentis, Cerotis, & similibus.

R